

CS.

XII. 468.



7.

A. & Ω.
DISSERTATIO METAPHYSICA
DE
CONCURSU DEI
CUM CREATURIS

Quam
Adjuvante DEO
in Florentissimo Gymnasio Ulmensi
Placidae Eruditorum Disquisitioni
subjiciunt

PRÆSES
M. JOANN. GEORGIUS Span,

Ecclesiae Jungingensis Pastor, Meta-
phys. atque Eloquentiæ Prof. P.

&
RESPONDENS
JOHANNES Wölfflin, Ulm.

Philosoph. Studios.

a. d. 26. Septembr. A. R. S. MDCC XXX.

H. L. Q. C.

ULMÆ,
Literis CHRISTIANI ULRICI WAGNERI.



ILLUSTRIS AC LIBERÆ S. R. I.
REPUBLICÆ ULMENSIS
VIRIS
PER ILLUSTRIBUS. GENEROSISSIMIS. MAGNIFICIS. MAXIME STRENUIS. PRÆNOBILISSIMIS.
AMPLISSIONIS. PRUDENTISSIMIS.

PATRIÆ PATRIBUS
GENTILITIARUM IMAGINUM ANTIQUITATE,
IMMORTALIBUS IN PATRIAM & BONAS LITTERAS
MERITIS, PROSPERRIMA RERUM ADMINISTRA-
TIONE SUMME CONSPICUIS.

DN. THEODORO AUGUSTO Schad Duum Viris, Rerum-
a Mittel-Biberach. que Ecclesiasticarum

DN. CHRISTOPHORO LAURENTIO Directoribus supre-
Welser. mis, Eminentissimis.

DN. ALBERTO LUDOVICO Schad à Mittel-Biberach. Viro Consulari,
Confili Secretioris & Judicij Superioris Adfessori, Rerumque Terri-
torialium Præfecto Splendidissimo.

DN. ALBERTO Cramer, Dicasterii Secretioris Superiorisque Judicij Ad-
fessori, ut & eorum, quæ Religionem S. concernunt, Curatori lon-
ge Gravissimo.

DN. MARCO ANTONIO Krafft à Deltmensingen, Edilitii Sacri Præfe-
Superioris Judicij Adfessori.

DN. HENRICO FRIDERICO Besserer à Thalzlingen, Ædis Splendidissimis.

DN. MARCO Scheler, Superioris Judicij Adfessori.

DN. ALPHONSO MAXIMILIANO Besserer à Thalzlingen, Dynastæ Leip-
heimenis Præfecto longe Prudentissimo.

DN. MARCO PHILIPPO Besserer à Thalzlingen, Senatori Amplissimo. Lega-
ti, quod à Generosa familia nomen atque incrementa cepit, Splen-
didissimi Moderatoribus Munificentissimis.

DN. JOAN. MATTHÆO Kiechel, Senatori Prudentissimo, Rerumque ad
Annonam Reipubl. Spectantium Præfecto. Itemque Legati splendi-
dissimi Kiecheliani Dispensatori meritissimo.

DN. FRANCISCO DANIELI de Neubronner, Incliti Ordinis Senatorii
Adfessori, Rerumque, quæ Ædificia Publica concernunt, Moderatori
Gravissimo; Nec non Legati Neubronneriani Splendidissimi Præfecto
indulgentissimo.

*Dominis suis Gratiis ac Mæcenatibus summis ad
cineres usque demissi pietatis cultu Venerandis suspiciendis.*



Nec non

VIRIS

Nullo Honorum ordine locatis

Magnificis, Summe Reverendo, Excellentissimis, Consultissimis Nobilissimis, Maxime Reverendis, Amplissimis, Praclarissimis, Specatissimis.

DN. THEODORO Bürglen, J. U. L. Reipublicæ Consiliario, Judicij Matrim. Adiessori, Gymnasiique Scholarchæ Regenti Gravissimo.

DN. JOHANNI FRICKIO, S. Reverend. Ministerii Seniori, in Seminario Eccles. S. Theol. Prof. P. Consistorii Matrimonialis Adiessori, Gymnasi, quod Ulmæ vigeat, Scholarchæ, undiqueaque Celeberrimo, Summeque merito.

Splendidissimi Legati Bæhmiani Præfectis beneficentissimis.

DN. CONRADO CHRISTIANO Wucherer, J. U. L. Reipubl. Ulmens. Consiliario & Archivario longe meritissimo.

DN. JOAN. FRIDERICO HERTENSTEINIO, in Summo Templo Præconi dexterissimo, & Philosoph. Rational. Prof. P. eruditissimo.

DN. SEBASTIANO Otto, Illustris Reip. Archigrammateo præclarissime merito.

Splendidissimi Legati Stæbliniani Dispensatoribus Munificentissimis.

DN. DAVIDI ALGÖWERO, in Summo Templo Verbi Divini Ministro meritissimo, ut & Mathematum Prof. P. celeberrimo.

DN. SEPTIMO HELVICO Grif, Ærarii Publici Curatori Specatissimo.

DN. JOAN. CHRISTOPHORO Eberlen, Rei frumentariæ, Annonæque publicæ Præfecto meritissimo.

Splendidissimi Legati Oweriani Dispensatoribus Benignissimis.

DN. JOAN. BARTHOLOMÆO Baur, Florentissimæ Societatis Merca-

DN. FRIDERICO CAROLO Heilbronner, torum Præfectis Amplissimis.

Splendidissimi Legati Kiecheliani Curatoribus Gravissimis.

DN. TOBLÆ Vnebrunner, Mercatori florentissimo.

Splendidissimi Legati Neubronneriani Administratori longe Dexterrimo.

*Dnn. Patronis & Evergetis pia mente colendis,
devenerandis.*

- DN. ELIÆ JACOBO VEIELIO, in Summo Templo Verbi Divini Ministro
 Fidelissimo, Philos. Natural. Prof. P. animæque meæ Curatori Vigilantissimo.
 DN. ELIÆ FRICKIO, in Summo Templo Ecclesiastæ Meritissimo, & Theologæ Catecheticæ Prof. P. Famigeratissimo.
 DN. ELIÆ DIETERICO ~~Heilbronner~~, Judicij Superioris pariter & Matrimonialis Actuario Dexterrimo.
 DN. ELIÆ WEIHENMAYERO, Gymnasi Rectori Gravissimo, & Hebreæ Græcæque Lingg. Prof. P. Celebratissimo.
 DN. DAVIDI STOELZLINO, Gymnasi Con-Rectori, Histor. Prof. P. ut & Reipublicæ Patriæ Bibliothecari immortali laude Clarissimo.
 DN. JOAN. JEREMIÆ Schwarzmanni, Pharmacopolæ Florentissimo, nec non Evergetæ suo admodum suspicioendo.
 DN. JOANNI WÖLFFLINO, Pastor in pago Süssen, vigilantissimo, Agnato suu etiam post cineres maxime Venerando.
 DN. CHRISTIANO WÖHRLINO, Philosophiaæ Moralis Prof. P. atque Praeceptoru VI. Clasis eximie Merenti.
 DN. JO. GEORGIO FRICKIO, Poëeos Prof P. Meritissimo.
 DN. ANDREÆ Hoppe, Illustris Reipubl. Cancellariæ Addicto, atque Evergeta suo Honoratissimo.
 GEORGIO Wölflii, Civi atque Textori honesto, Patri suo ea, qua decet, filiali pietate prosequendo.

*DNN. Patronis, & Studiorum suorum Promotoribus
omni honoris ac pietatis cultu prosequendis, suspiciendis.*

Dissertationem hanc Philosophicam in perpetuam demissæ Venerationis & obsequii humillimi Tesseram

Nec non

Ulteriore Studiorum suorum commendationem
Summo devotissimi animi cultu

D. D. D.

Vitam, salutem, incolumitatem omnigenam & perennem precatus

Tantorum Nominum

*Subiectissimus, devotissimus & obstrictissimus
Cliens & Cultor*

JO. W.



CONSPECTUS TOTIUS DISSERTATIONIS.

SECTIO I.

- §. I. Providentia divina definitur.
§. II. Ejusdem tres actus recensentur:
Primus Actus Conservatio describitur.
§. III. Describitur II. Actus Providentiae Divine, Gubernatio.
§. IV. describitur III. Actus Providentiae div. Concursum, simulque probatur.
§. V. Idem Concursum div. aliis argumentis roboratur.
§. VI. Probatur, Concursum divinum non esse præsum, ac necessitatem.
§. VII. Concursum DEI esse generalem, universalem, itemque immediatum ac proximum.
§. VIII. DEI concursus esse simultaneum, ut una sit actio DEI & hominis: que determinationem ab homine libere agente consequatur.
§. IX. DEUS concurrit etiam ad actiones malas.
§. X. Nominat illos, qui Concursum DEI immediatum negant; Durandum, atque Taurellum.
§. XI. ex recentioribus allegatur Pajonus, qui dogma hoc defendit; recensentur etiam illi, qui Pajonum confutarunt.
§. XII. ex recentissimis nominantur Clericus aliquis, qui Concursum Div. immediatum negarunt.

SECTIO II.

- §. I. Creaturas vere agere, probatur.
§. II. Systema Cartiarum Occasionium exponitur, ejusque Auctores incerti nominantur.
§. III. Ren. Cartesius non est Auctor hujus Systematis.
§. IV. Systema hoc quidam ejusdem discipuli adsumserunt.
§. V. Præcipuus hujus Systematis defensor est Malebranchius.
§. VI. Malebranchii sententiam adsumit Bernb. Connor, Med. a quibusdam idem docuisse alii dicuntur.
§. VII. Fons & Origo hujus sententiae de caussis Occasionalibus indicatur.
§. VIII. Systema hocce impietatis accusatur; & denique verba Sene&c proferuntur.


Q. D. B. V.



Q. D. B. V.

Sectio I.

§. I.



Nter opera, quibus DIVINUM NUMEN infinitam suam Bonitatem, Sapientiam atque Potentiam hominibus manifestavit, haud postremum locum Providentia Divina tenet, quæ, si usum vocis, receptumque loquendi morem spelemus, curam Dei significat, qua rebus creatis universis sapienter prospicit. Complebitur illa generatim πρόγνωσιν, seu præscientiam, qua omnia, quæ rerum creatarum conservationi, & ad certum finem directioni inservire possunt, cognoscit; πρόθεσιν, seu decretum Voluntatis, dum ea, quæ ad finem obtainendum necessaria sunt, decernit; & denique διοίκησιν, seu ipsam decreti hujus executionem, quæ in rerum omnium conservatione ac gubernatione consistit. Hæc ergo Providentia est actus Divinus, quo DEUS res à se conditas universas ac singulas potentissime conservat, ad actiones & effectus

A

imme-

immediate concurrit, ac sapienter omnia dirigit, & moderatur ad sanctissimi Nominis sui gloriam, hominumque salutem. DEUM benignissimum rerum creatarum curam gerere, ex bonitate Ejus, sapientia, & potentia, nec non ex rerum creatorum indigentia, aliisque argumentis, ex lumine Naturae petitis, evidenter comprobatur, quæ nobis abunde suppeditant Scriptores, qui de Providentia Divina commentati sunt, quos omni cura atque diligentia recensuit Vir magnus, Joh. Alb. Fabricius in delectu Argumentorum, & Syllabo Scriptorum, qui veritatem Religionis Christianæ afferuerunt.

Cap. XVII.

§. II.

Ex diversis Providentiae Divinæ effectibus diversi quoque actus, nostro concipiendi modo, resultant, quorum tres numerari solet: Conservatio, Concurſus, atque Gubernatio. CONSERVATIO est actio Dei, qua rebus creatis durationem seu existentiæ continuationem pro libero & sapientissimo Voluntatis Optimæ arbitrio impertitur. Hæc non est actus Voluntatis Divinæ mere negativus seu permissivus, quando permettit tantum res creatas durare, quas aliquoquin destruere, aut annihilare poterat, easque vigori suo per creationem indito, quoadusque ille perdurare potest, relinquit; sed est actus positivus, quo Deus immediate in rerum essentias influit, vires ac facultates hominum prorogat, easque actu efficacissimo sustentat; unde & SUSTENTATIO nuncupari solet. Hanc conservationem rerum creatorum infirmitas atque indigentia omnino postu-

postulat. Nulla enim Creatura sibimet ipsi causa fuit, ut vel ad unicum momentum existeret, multo minus itaque virtutem atque efficaciam continuandæ existentiæ ad plura momenta habebit. Certe non minor potentia requiritur ad illud, quod existit, conservandum atque continuandum, quam ad aliquid de novo producendum. Quodsi vero res creatæ se ipsas conservare nequeunt, neque ordinem, secundum quem omnia eveniunt, constituere, sequitur à DEO, opifice sapientissimo, ista omnia profluere, cuius infinita Potentia ad hoc opus sufficit. Eleganter NEMESIUS, Philosophus & Episcopus eximius: ἀνάγνη δὲ καὶ τὸν ἀυτὸν ἔνεα ποιητὴν τῶν ὄντων, καὶ προσοντὴν, ἐπει γὰρ ἀνάλαθον, ἐπει πρέπον, ἀλλον μὲν ποιεῖν, ἀλλον δὲ τῶν γενομένων ἐπιμελεῖσθαι ἐν ἀθενεῖς γὰρ παινῶν ὁρᾶται τὸ ποιέτον. Necesse est autem, eundem esse, qui res efficiat, & effectis prouideat. Neque enim rectum est, nec decet, aliud efficere, aliud ea, quæ effecta sunt, curare. Namque hoc imbecillitatis quidem certe est. De Natura Hominis. Cap. XLIII. Bonitatis porro divinæ erat, non tantum mundum creare, sed etiam eundem conservare. Etenim, quis operator, inquit AMBROSIUS, negligat operis sui curam? quis deferat & destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria, fecisse? cum aliquid non fecisse, nulla injustitia sit; non curare, quod feceris, summa inclemensia. De Offic. L. I. c. XIII.

§. III.

GUBERNATIO est, qua DEUS omnia in hoc Universo, cum primis vero actiones hominum, rationis usu

A 2

pol-

pollentium , ad certum finem , eumque ex consilio atque intentione Dei semper bonum benigne ac sapienter dirigit. Disponit autem & moderatur omnes aetiones plerumque mediate per lumen rationis homini concessum , per varia objecta , quae illis offeruntur , aliarumque causarum concursum ; interdum etiam immediate per certos impulsus atque instinctus . De hac ipsa gubernatione Dei ut multa addamus necesse non est. Totus orbis , quacunque patet , & omnes res creatae unico veluti ore clamitant : DEUM omnia Sapientissimo modo administrare. Inprimis verò illa Gubernatio in diversis hominum statibus luculentissima ratione se prodit , & vel mediocris eorum , quae quotidie in vitæ nostræ ingressu , progressu , atque egressu sese nobis offerunt , consideratio , quemvis attentum , hujus veritatis apertissimæ facile convincet. Porro si Imperia Orbis , eorumque incrementa , decrementa , mutationes , conversiones , attendamus : quis , quæso , tam hebetis Ingenii , & duri peccoris erit , ut sine singulari NUNI-
NIS Directione ita contigisse , sibi persuadere possit. Attollamus oculos in coelum , defigamus illos in terram , & maxima mundi corpora , nostramque corporis fabricam sane mirandam simul attente consideremus , Providum Numen in his operibus admirantis comprehendemus & palpabimus. Egregie LACTANTIUS *Quis enim , inquit , non sentiat , hunc mundum tam mirabili ratione perfectum , aliqua providentia gubernari ? Quandoquidem nihil est , quod possit sine ullo moderatore consistere ; Sic domus ab habitatore deserta dilabitur ; navis sine gubernatore abit pessum : Et corpus relictum ab Anima diffluit.*

*fuit. Nendum putemus, tantam illam molem aut construi
sine Artifice, aut stare tam diu sine Gubernatore potuisse?
Lib. III. Divin. Institution. C. XX. p. m. 357.*

§. IV.

Tertius Divinæ Providentiae actus dicitur CON-CURSUS, seu actio externa, qua DEUS rerum omnium causa prima ad omnes causarum secundarum motus, atque singulas hominum actiones immediate pro liber-rima sua Voluntate concurrit, ac operatur. Causam primam Philosophi vocant, quæ non habet se priorem, quando descendimus a causis ad effectum; hujuscemo-di causa prima nonnisi unica est, DEUS nempe rerum omnium Potentissimus Opifex, à quo omnes reliquæ causæ dependent; quæ autem in hoc casu priorem ha-bet, secunda appellari solet. Dari ejusmodi Concur-sum divinum, argumentis luctulentis ex principiis sanæ rationis desuntis comprobari potest. Primum nobis argumentum dependentia Creaturarum à DEO tan-quam causa efficiente omnium prima suppeditat. Nam-que omnes res creatæ, quæ facultate sese movendi gaudent, uti à Divino NUMINE ex nihilo productæ sunt; ita etiam ratione essentiæ suæ ab eodem Creato-re benignissimo dependent. Quodsi vero essentia ab illo dependet, etiam operationes, quæ ab essentia pro-manare solent, ab eodem pendere, necesse est; quo-niam operationes agentis essentiam sequuntur. Imo, nisi creature à DEO jugiter penderent, independentes faltem quoad operationes forent, adeoque effectus crea-turarum nobiliores causa suâ existerent: Actio enim ef-

A 3

set



ſet independens, agens vero dependens. Deinde si DEUS à concurſu ſuo ceſſaret, haud dubium eſt, quin omnia, quæ produxit, illico in nihilum eſſent colla-pſura. Annihilatio enim eſt influxus divini conservati-vi ſubtraætio atque inhibitio. Quamdiu immediatus atque actualis concurſus creature confertur, tamdiu in eſſentia ſua atque operationibus perfeverat, hoc ve-ro vel ad momentum ſublato, illa peribit, atque in nihilum recidet. Hinc eleganter admodum AUGUSTI-NUS ait: *Creatoris potentia, & Omnipotentis ac Omnitentiis virtus cauſa ſubſtendi eſt omni creature, quæ vir-tus ab iis, quæ creata ſunt, regendis ſi aliquando ceſſaret, ſimul & illorum ceſſaret species, omnisque natura concide-ret.* Lib. IV. de Gen. ad lit. c. XII. vid. B. Danhaueri Hodof. Phænom. III. p. m. 307.

§. V.

Porro Concurſus ille neque DEO neque creature repugnat; Non DEO, adverſatur, quia nec laborem, nec onus ſibi imponit, qui curam rerum habet, & cum creature modo ſibi convenienti concurrit: quin potius operatio hæc inter perfectiones refertur, quas omnes DEUS, Ens omnium perfectissimum, eminentiſſimo mo-do compleſtitur; neque impotentiæ arguit Omnipotentem, ſed ſummam potius infinitamque Ejus perfectionem roborat, ad cuius fastigium nulla creature arum ascendit: nec repugnat ille Concurſus Creature, quia eſſentiam accepit finitam, à DEO dependentem, quæ non poſſet non, concurſu divino ſubtraæto, perire, & in nihilum redire. Accedit, quod Omnipræſentia di-vina

vina simul operationem quandam involvat, sine qua ne concipi quidem potest. Nusquam enim in toto sacro Codice vox Præsentiae aliter quam negotiosa & operatrix, seu ad terrorem horrenda, seu ad solatium foecunda describitur. Gentiles ipsi saniores, lumine Gratiae destituti, id agnouerunt, quorum loca collegit B. **SLEVOGTIUS** in *dissertat. Academ. p. 345.* Denique Concursum Divinum ex subordinatione rerum recte colligimus. Quum enim omne subordinatum à DEO dependeat, cui subordinatum est, in agentibus per se subordinatis inferius sine vi superioris agere non potest. Nec enim sufficit ad essentialē causarum subordinationem, ut una tantum ab altera ratione essentialē, sed ut inferior à superiori ratione motuum quoque atque operationum dependeat, adeo, ut causa inferior sine superioris causē concursu actiones nullas promere possit. Concursum hunc divinum ex S. litteris Theologi uberiori demonstrant, ad egregium cum primis illud **PAULI** dictum provocantes; *ἐν αὐτῷ (ΘΕῷ) ζομεν, πνεύματα, καὶ ἐσμεν. In Ipo (DEO) vivimus, move- mur, & sumus. Acto. XVII. 28.* ex quibus verbis immediatum DEI concursum ad operationes agentium solide deducunt. Conferri potest **JACOBUS GUSSETIUS**, qui argumenta ex S. Scriptura magna diligentia conquisivit, quibus concursus ille divinus immediatus roborari potest in *Libro de Causarum Primae & Secundarum reali Operatione. pag. 113. sqq.*

§. VI.

Neque tamen Concursum ille Divinus prævius est & necessitatem agendi imponens, quo DEUS causas secundas,

cundas , antequam operentur , ad agendum præmo-
veat , & physice prædeterminet , quæ actio , PRÆDE-
TERMINATIO Physica & necessitans dici solet , quâ
DEUS antecedenter prævia motione necessitante cau-
ſas secundas ad agendum stimulat ac determinat . Hæc
enim præmotio actionem antecedens , præcursus po-
tius quam concursus nomen meretur . Deinde cauſæ
secundæ positis ad agendum requisitis sufficientem in-
ſitamque agendi , atque actiones suas determinandi vir-
tutem habent , tametsi ejusmodi prævia motio ac præ-
determinatio divina non ponatur ; quin hac admissa
omnis Libertas hominis tollitur , atque inevitabile illud
fatuumque Stoicorum fatum introducitur , de *cujus ma-*
lignite legi meretur B. JACOB. THOMASIUS
Dissert. XIII. & B. BUDDENS in Exercitation. de Er-
roribus Stoicorum. Præterea DEUS secundum præde-
terminatistarum hypothesin voluntatem hominis ad
actus vitiosos excitaret , & prædeterminaret , adeoque
causa moralis actionum malarum , legi divinæ repu-
gnantium , existeret ; quæ sententia quoniam cum fan-
tate divina nullo modo conciliari potest , à DEO omni
ope removenda . Oppido hinc errant , qui hanc præ-
determinationem defendere conantur , de quibus vid.
B. CALOVII System. Theol. Tom. II. pag. 526. sqq. qui
hanc controversiam historice quoque pertractavit .

§. VII.

Concursus itaque hic generalis est ac universalis ,
quo nemp̄ DEUS generali quadam ratione cum omni-
bus causis secundis , sed modo cuilibet convenienti , co-
operatur ;

operatur ; ordinatus porro , indifferens , ac indeterminatus , dum ad ipsam quidem singularum actionum substantiam concurrit , illas tamen nullo modo determinat , aut necessitatem illis infert . Omnis enim creatura vel ad agendum determinata est , ut omnibus requisitis rite se habeatibus , non possit non id agere , quod agit ; vel prout libertate pollet , per suam voluntatem ad hoc vel illud agendum se determinat . DEUS enim Autor est Ordinis , non $\alpha\tau\alpha\xi\omega\zeta$, modumque Naturae à semet sapienter institutum observat ; cumque Ipse agens sit liberrimum , cum liberis etiam libere agit . Recte & accurate , ut solet , ait B. D. CALOVIUS parte gen. Metaphys. div. Tract. Posterior. cap. XV. p. m. 503. Nec mediatus tantum , ac remotus Concursus ille Divinus dicens est , sed proximus atque immediatus , h. e. DEUS non tantum remote , mediate , ratione virtutis , sed etiam immediate , proxime , per se , ratione ipsius suppositi per suam essentiam concurrit , atque effectus immediate attingit . Virtus enim Divina propter absolutam DEI Simplicitatem , atque infinitam Perfectionem ab ipsa Essentia Divina separari non potest . Quare si DEUS per Virtutem suam concurrit , per pronam inde consequentiam sequitur , eundem quoque ratione ipsius suppositi concurrere , atque immediate operari .

§. VIII.

Denique DEUS concursu simultaneo ad actiones hominum concurrit , ut Ipse cum iisdem agat atque operetur , unde alio nomine COOPERATIO divina nominatur : hinc una eadem numero actio est DEI &

B
crea-

creaturarum à duabus causis totalibus promanans ad eundem numero effectum tendens, quæ determinacionem ab homine libere agente consequitur. Evidem viri quidam eruditæ existimant: nullo modo concipi posse, quo pacto duo principia vere & proprie agentia ad unum effectum eadem numero actione concurrere possint; unde concursus divinum & actionem creaturæ distinctas actiones esse, sibi aliisque persuadere cipiunt. Sententiam hanc præter alios tueri intendit *BAPTISTA du HAMEL* in *Metaph. Tract. III. qu. II.* pag. 428. vid. *Celeb. SYRBILIS* in *Philos. Prim. Part. I. c. II.* Verum facili negotio dubium solvi potest, si retineamus dogma illud omnium tutissimum, de causis essentialiter subordinatis, statuentes: DEUM, ut causam primam ac universalem, creaturem vero ut causas secundas, & particulares agere sicut essentialiter subordinatas, eadem numero actione, eundem effectum producere, ita quidem, ut utraque immediate atque perfecte, quælibet in suo genere, operetur. Quoniam vero hujusmodi actio ad certam speciem determinata est, id probe attendendum, causam secundam a prima ad certam actus speciem non determinari, h.e. actionem, ad quam Deus & creatura concurrunt, esse talis speciei, non quia Deus cum creatura cooperatur, sed quia a creatura rationali provenit, quæ actionem libere ad particulare aliquod opus applicat atque determinat. Est enim actio Dei ut causæ primæ ac universalis ex se indifferens & indeterminata, determinatur vero ad certam speciem a concurrente creatura tanquam causa particulari.

§. IX.

§. IX.

Ex hisce manifestum est, DEUM ad omnes actiones, sed alio atque alio modo concurrere. Ad actiones naturales ordinarie concursu generali concurrit; ad actiones vero morales, non tantum universali isto concursu, sed si actio bona sit, per modum suasionis aut externæ, aut internæ, itemque per collationem virium, ad electionem & exercitia rei honestæ necessariarum, aliaque ratione; nimurum easdem ita moderatur, ut, in quantum bonæ dici possunt, adprobet, promoveat, & ad finem sibi propositum deducat. Quodsi vero DEUS ad omnes omnino hominum actiones concurrit, eundem quoque ad actiones malas concurrere, necesse est; Quæ actiones in se & physice spectatæ distinguendæ omnino sunt ab ἀταξίᾳ, seu malitia & vitio ipsis adhaerente. Nimurum DEUS ad actiones malas concurrit concursu generali, & quatenus sunt actiones, h. e. cum motu naturali conjunctæ, qui motus in se consideratus plane indifferens est, ac innoxius, nec peccati rationem habet; moralis autem actionum pravitas, atque defectus a lege vitiosi solis creaturis libere agentibus imputari possunt. Accedit, quod DEUS Sanctissimus malas actiones severe per leges prohibeat, ac detestetur, perpetratas vero gravissimis poenis ulciscatur. Nec illorum nobis sententia displicet, qui non tantum inter materiale & formale, seu motum physicum, & ἀταξίαν actionis discrimen constituunt, sed insuper materiale proximum a materiali remoto discernendum esse, contendunt. Quodsi enim DEUS ad mate-

riale proximum peccati concurreret, sequeretur, quod motum physicum causæ secundæ ad ipsam malitiam si-
ve formale peccati determinaret, adeoque peccati for-
maliter sumti causa foret, quod de DEO Sanctissimo
cogitare nefas est. Evidem nonnulli regerunt, *attra-*
ctio *istam* seu malitiam à motu physico abstrahi nullo
modo posse. Enimvero revera, & non tantum Metaphysica præcisione, motum physicum ab *attractio* seu vi-
tio, illi adhærente differre, palam est. Sic v. gr. fur,
extendens manum ad alienam rem auferendam, seu fur-
tum committendum, ad labores etiam honestos, ac ne-
cessarios, extendere potuisset, vitiumque hac ratione
huic motui physico non adhaesisset. Conf. *B. Balthas.*
Meisneri Philos. sobria, P. I. p. m. 782. *B. Catovii Metaph. Divina*. p. m. 500. nec non *B. JO. GERHARDUS Loc. de Providentia C. IX. §. 86. sqq.* ubi docet
aque probat, Deum in malis actionibus concurrere
sciendo ac videndo, naturam sustentando, permittendo,
deserendo, metas praesinuendo, bonumque ex eis eli-
ciendo.

§. X.

In gravissimo hinc errore versantur, qui docent,
rebus singulis ex nihilo productis facultatem agendi ita
fuisse concessam, ut ea posita ac conservata, Deus non
amplius proxime atque immediate concurrat. Ex Do-
ctoribus Scholasticis hic commemorandus est *DURANDUS*, qui fatetur, DEUM ad actus causarum par-
ticularium concurrere, sed solum remote, quatenus
nempe agentibus particularibus primum dedit essen-
tiam

tiam & facultatem operandi ; Proinde negat, DEUM ad actiones, à causis secundis eliciendas immediate concurre, creature, supposita conservatione virtutis activæ, ad actiones edendas esse sufficientes, adeoque sine immediato ejusdem concursu effectus suos producere.
H. sentent. dist. I. qu. V. &c dist. XXXVII. qu. I. Durandi sententiam refellere conatus est Vir Doct. Jo. Bapt. du Hamel in Philos. Burgund. Metaph. Tr. III. diff. II. qu. 2. Durandum plures scholasticorum secuti sunt, quos Autores Collegii Conimbricensis nominant *Libr. II. Phys. Aristot. c. VII. p. 346.* Cum primis vero hanc sententiam amplexus est NICOLAUS TAURELLUS, qui in Metaph. atque Physicis discussionibus de Mundo contra conservationem divinam Mundi disputationat, atque P. II. de rerum æternitate haec profana verba profert : *Magna proœcta est indignitas, DEUM, qui naturam faceret, naturæ Socium esse, ad abjectas etiam operas, perpetuumque laborem. Magna etiam fuit DEI Conditoris impotentia & imprudentia, qui naturam ita condere non potuit, ut sola, quod suum esset, facere posset, officium. Si voluit DEUS semper operari, cur naturam fecit ? an putas, DEUM, si quid facere velit, concursu indigere naturæ ?* vid. B. Calov. in System. p. 1203.

§. XI.

Ex recentioribus notari meretur CLAUDIO PAGONUS, Gallus, Aurelianensem quondam Ecclesiastes, cuius primarium quoque dogma hoc fuit: *quod DEUS, fons & origo hujus machinae talem machinam produixerit, quæ nobilitate, & elegantia sua Conditoris summi gloriam mani-*

manifestaret. Unde generalem illi & prestantissimum motum impresserit, ad finem usque orbis duraturum, cuius virtute instrumenta quævis, tam rationalia, quam irrationalia moveantur. Ac quod proinde res craatæ omnes actiones suas edant ope illius efficacissimæ virtutis, primo illis inditæ ac propagate, **SINE ULLO IMMEDIATO AC PROXIMO CONDITORIS CONCURSU**, quem influxum alii vocant; Concurſu tamen remoto, per productionem primævæ virtutis neutiquam excluso. Dogma istud ab Autore **PAJONIUS** vulgo appellatus fuit. Confutarunt Pajonum certatum Viri Celeberrimi atque eruditionis laude Clarissimi **PETRUS JUREU**, in *Tradat. Gall. de Natura & Gratia*, aliisque scriptis. **MELCHIOR LEYDEKERUS** in *Veritate Evangelica Triumphantे de erroribus quorumvis seculorum Tom. I. FRIDERICUS SPANHEMIUS* in Elench. Controversi. Ex Nostratisbus Vir de Ecclesia Christi meritissimus **Dn. D. VALINT. ERNESTUS LOESCHERUS** in *exercitat. Theolog.* de Claudi Pajoni, ejusque Sectatorum, quos Pajonistas vocant, doctrina & fatis, plurima notatu dignissima protulit. Totam controversiæ Pajonisticæ historiam summatim recenset **ZACHAR. GRAPIUS** in *Theol. recens controversa continuata. Tom. II. C. II. qu. II. pag. 39. sqq.* Id certum est, Pajonistarum sententiam nullo valido arguento confirmari posse. Dependentia atque indigenita creaturarum non remotum tantum concursum divinum, sed longe propinquorem atque intimorem postulat. Præterea **DEUM**, rerum omnium Creatorem, ac Conservatorem Pajonistæ tanquam otiosum rerum omnium

omnium Spectatores nobis sicut sunt, à creaturis remoto, quo ipso *DEI* Omnipræsentia ac Providentia facilissimo negotio in dubium vocari potest. Silentio jam involvimus, dogma hocce S. Scripturæ dictis evidenter, in quibus immediatus *DEI* Concursus stabilitur, adversari.

§. XII.

A recto hinc veritatis tramite etiam discedunt, *Celeberr. JOH. CLERICUS in Pneumatol. Sed. III. c. VI.* de Provident. & Concurso *DEI*; atque ex recentissimis *Vir Cl. FRIDERIC. GENTZKENIUS in System. Philos. P. II. C. X. Theol. Nat. de Provident. div. p. m. 45. sqq.* quorum uterque Concursum *DEI* immediatum ac proximum negat. Hinc *Gentzkenius* in §. IX. hanc conclusiō nem ex prioribus thesibus deducit; *Quare cum ratione statuimus, quod creaturæ suam in creatione acceptam vim & motum secundum leges in naturā datas SINE CONCURSU DEI SPECIALI exerceant. Sic homines & bruta membra movent, eorumque mentes cogitant per se mel acceptam in creatione moventi & cogitandi facultatem.* Enim vero rationes, quas proferunt, non tantum sunt ponderis, ut communem sententiam argumentis certis suffultam deseramus, quin potius immediati concursus divini necessitatem, argumentis luculentis comprobatam esse judicamus.

Sectio



Sectio II.

§. I.

Robavimus hucusque in Sect. I. theſibus concurſum Dei cauſæ Primæ cauſis ſecundis imme diatum atque proximum; reſtat, ut argumen‐
tis quoque conſirmemus, cauſas ſecundas vere agere,
atque actiones producere. Ni mirum non eo uſque ex‐
tendi debet concurſus diuinus, ut res creatas nihil,
Deum autem omnia immediate agere atque operari cen‐
ſeamus. Namque creatureſ vere agere, varioſque ef‐
fectus edere, experientia ſenſuum quotidiana luculen‐
ter admodum teſtatur. Si c̄ videmus ac ſentimus ignem
combure, Solem illuminare, aquam humectare, ho‐
mines ideas ſibi formare, illas inter ſe comparare, con‐
jugere ac separare, h. e. judicare, meditari, dubitare,
ratiocinari, animum revocare atque ad aliiquid reſlecte‐
re, aliasque actiones pro lubitu determinare; Fruſtra
quoque ſine conſilio ac ratione facultas agendi cauſis
ſecundis fuſſet à DEO confeſſa, niſi in aetum pro lu‐
bitu eandem deducere poſſent, quod de DEO, Sapien‐
tissimo rerum omnium Creatore ac Moderatore vix co‐
gitandum. Porro cauſis ſecundis ejusmodi effectus
quandoque tribuuntur, qui quoad ſpeciem actus DEO
nullo modo competere poſſunt. Immo ſaepe homi‐
nibus hujuscemodi actiones adſcribuntur, quarum ob‐
jectum ipſe DEUS eſt, adeoque non ſine iſigni abſur‐
ditate in iſum DEUM redundant. Sic homines di‐
cuntur DEUM adorare, colere, extimescere, stu‐
penda
eius

ejus opera admirari, laudibus eundem efferre, DEUM blasphemare, ad iram concitare, &c. Quodsi vero creaturæ rationales non vere agunt atque operantur, DEUS semet ipsum adorat, colit, timet, laudat, blasphemat? Ecquis non perspicit, sententiam hanc ineptam esse, atque impietatis posse argui? Frustraneus quoque foret tot organorum ad agendum aptissimorum, in creaturis viventibus selectissimus apparatus, si virtute activa carent. DEUM sine tot creaturarum instrumentis effectus omnes producere posse, nemo dubitavit. At eum in finem sapientissima ratione corpora viventia vario organorum apparatu instruxit, ut agant atque operentur. Quin hoc pacto discrimen viventium & non viventium tollitur, atque incassum laborarunt Philosophi, qui rerum effectus attenderunt, atque ex illis eorum naturam dijudicarunt.

§. II.

Falluntur hinc turpiter, qui causis secundis omnem agendi facultatem admunt, easque causas mere occasio-
nales dicunt, quibus positis, vel ad quarum præsentiam
DEUS solus hoc vel illud immediate perficiat. Natum
hinc est SYSTEMA CAUSARUM OCCASIONA-
LIUM, in scholis Philosophorum notissimum, de quo
& Philosophi pariter atque Theologi inter se discepta-
runt. Plura de hoc præter alios dabit ZACHAR.
GRAPIUS in *Theologia recens controversa, continuata*
Tom. II. Cap. II. Qu. III. pag. 43. sqq. Quinam Auctor
sit hujus systematis, inter Viros eruditos diu fuit quæ-
sum. Auctor hujus sententiæ a quibusdam dicitur

C

AVI

AVICEBRON, seu (ut ab aliis vocatur) *AVICEM-BRON*, qui in Libro fontis vitæ, seu de materia & forma hanc sententiam primus protulisse dicitur ; sed reūius sentiunt , qui hunc Maurorum principem defensorem atque explicatorem hujus sententiæ allegant , cum non demum in Seculo X. nata sit , sed antiquiorum longe habeat originem. *Autores Collegii Conim-bricensis* defensores præcipuos hujus sententiæ nominant *PETRUM de Alliaco* , qui ineunte Seculi XV. scripsit,& *GABRIELEM BIEL*,de quibus ita pronunciant: *Verè illud à quopiam dictum fuit ; nihil tam ridiculum & absurdum esse , quin aliquem philosoporum Autorem & Defensorem aliquando habuerit.* Ecce enim in proposita quæſtione non defuerunt, qui adſeveraverint, res alias infra *DEUM* nihil prorsus moliri, nullam ve actionem ad-ministrare, sed ad earum præsentiam effecta omnia, quæ ab iis oriri videntur , à *DEO* effici. Quin verò hanc sententiam jam pridem è scholis ejjectam , & sepultam, ab infe-ris revocare , ac tueri velle , aut certe ad eam inclinare videntur Alliacensis in Libr. IV. ſent. qu. 1. & Gabriel diſtinguit. II. qu. 2. & 3. &c. in Librum II. Physic. Aristot. c. VII. qu. XI. p. 346. Sed Petrum Alliacensem lucu-lenter defendit Vir Cl. JACOB. GUSSETIUS , in Li-bro jam §. V. citato. p. 124. & 125. Verba hujus, ita ſe habent : *Quandocunque DEUS producit aliquem effec-tum mediante cauſa ſecunda , ipſe DEUS non ſolum pro-ducit illum effectum, ſed etiam facit , cauſam ſecundam eſſe cauſam illius effectus.* Et alio loco: *aliqua cauſa efficiens ſecunda eſt proprie cauſa , quod ipſa agit effectum virtute propria, h. e. virtute , quæ eſt in ipſa , vel quæ eſt ipſamet,* & non

Et non sibi aliena. Quod vero attinet Gabr. Bielium, illum ab hac sententia alienum non fuisse, ex verbis ejus ostendit *B. DILLHERRUS* in *disput. Acad. II.* §. 6. Celeberr. JOH. CLERICUS Thomistas huic sententiæ suffragari, dicit, quando illos propugnatores hujus Systematis vocat in *Pneumatol. Sedl. III. c. VI. §. 14. p. m. 125.* Enimvero cum Thomas ipse passim hanc sententiam refellat, imo absurdam vocet, absque fundamento hæc sententia Thomistis imputatur. vid. *Lib. III. THOMÆ contra Gent. c. LXIX.* Et in 2. sentent. *disput. I. qu. I. art. 4.* Ex his apparet, nondum satis rem esse certam atque exploratam, quisnam primus Systematis hujus Auctor sit appellandus.

§. III.

Nostra ætate hæc opinio *RENATO CARTESIO* à multis imputata fuit, qui novum hoc Systema extraxisse, vel idem docuisse dicitur. Sed contrarium potius eundem statuisse, loca ex Scriptis ejus proferenda satis comprobabunt. Nimirum Cartesius afferit *humam animam informare corpus; sedem suam habere in cerebro, in quo non tantum intelligat, sed etiam sentiat. Motus in cerebro excitatos animam sive mentem diversimode afficere.* vid. *PRINCIPIA PHILOSOPHICA. Part. IV. §. 189. p. m. 213. sq.* Docet porro, animam vere operari in corpus, & corpus viciissim in animam, ita ut mens vere in corpore suo motus excitet, producat, & efficiat; & corpus etiam excitet, producat, & efficiat varias ideas, perceptiones, & sensationes in mente. De mutua hac actione animæ & cor-

C 2

poris

poris multa profert Libro citato , imprimis Part. IV.
 §. 190. *Anima pathemata babens , has confusas cogitationes non à ſe ſolā , ſed AB EO , QUOD A CORPORE , CUI INTIME CONJUNCTA EST , ALIQUID PATTIATUR.* p. 214. §. 197. probat mentem , quatenus à DEO creata , & ſuo corpori libere ac ſapienter unita eft , & in hoc ſtatu conſtituta , talis eſſe natura , ut à ſolo corporis motu variae cogitationes in ea excitentur , atque efficiantur. p. 216. Idem Cartesius claris verbis docet veram mentis operationem in corpus in *Tractatu de PASSIONIBUS ANIMÆ.* Articulo XXXI. XXXIII. XXXIV. XLI. & in Artic. XLII. & XLIII. exponit ; quomodo Anima poſſit mouere corpus , idque varie moveat , ejusque ſingula membra. Addi poſſunt Artic. XLVI. XLVII. XLIX. & L. Conferri meretur , nobis jam ſæpius laudatus *GUSSETIUS* in *Apologia pro Cartefio.* p. 23. ſqq. & p. 68. Et Philosophia Cartefianæ ſtator ac vindex Celeb. nominis Vir , *RILLARDUS ANDALA* , in disputat. Philosoph. de *Unione Mentiſ & corporis physica , neutiquam metaphysica.* Mirari hinc ſubit , Praeclariffimi nominis Virum , Dn. *SAMUELEM CHRISTOPH. HOLLMANNUM* , Cartesium pro primo hujus ſyſtematis Autore venditaffe ; cum tamen fateatur , illum expreſſis verbis ſentiam hanc non fuiffe profesum. in *Difſerat. Poster. Wittebergæ habita , de Anima humana ſibi ipſi ignota. Sect. II. p. 5.*

§. IV.

Quamvis vero hoc Systema ipſi Cartefio , tanquam primo inventorι adſcribi non poſſit ; quidam tamen ex Schola

Schola ejus prodeuntes Discipuli docuerunt, creaturas ex verarum causarum numero eliminandas esse, ideo, quod DEO occasionem tantum hoc vel illud agendi præbeant, DEUS vero SOLUS omnes motus atque actiones immediate producat. Hos inter numerandus primo loco est *LUDOVIC. FORGIUS*, qui eo usque progressus est, ut ipsi menti potentiam producendi cogitationes deroget. Ostendit id *GLISSET*. c. l. p. 6. sqq. Qui postquam verba recitavit, tandem ejus conclusionem profert p. 8. *Itaque unum quidpiam supereſt, à quo nova quilibet cogitatio exiſtat in mente, illudque NIHIL ALIUD EST, QUAM DEUS*, qui juxta leges à se in uni-versis rebus positas, quarum executionem sibi iunxit, cogitationi priori ſequentem efficaciter ſubſtituat quolibet momento. Forgium fecuti ſunt plures, & ex his cumprimis *CHRISTOPH. WITTICHII*, qui hanc ſententiam tuetur; ita enim loquitur: *Illa operatio, que Angelis, ut & creaturis quibuslibet tribuitur, longe alia eſt ab ea, que DEO adſcribitur, nec alio ſenſu poſſunt dici operari, niſi quod poſta tali eorum voluntate, aliud quid ſequatur in creaturis, QUOD TAMEN TOTUM, QUO AD OMNEM SUAM REALITATEM, DEUS EFFICIT*. Sic ergo non apparet, quo minus, ſi DEUS velit, poſta hac vel illa voluntate Angelorum, aliiquid inde ſequi poſſit in mente noſtra, quam in aliquo corpore. in *Theologia Pacif. c. XVI. §. 237. p. 189.* Taceo jam *GEULINGIUM, VOLDERUM, BECKERUM, DEURHOFIUM*, aliosque, quos memoravit *RIARD. ANDALA*. c. l. Perperam in hanc ſententiam à quibusdam trahitur Cartesii præcipiuus Sectator, *JO-*

HANNES CLAUBERGIIUS, qui *Corporis & Animæ conjunctionem* ex principiis à *Cartesio* positis deduxit, huncque tractatum *Physicæ suæ* adjecit. Hanc vero conjunctionem constituit *in relativis utriusque actionibus, passionibusque, earumque commercio & reciprocatione.* *Cap. IX.* *Cap. X.* probat; *banc conjunctionem esse vitalem & actuosam.* *Cap. XI.* *uberius confirmat, mentem in corpus, corpus in mentem agere.* *Cap. XIII.* *corpus etiam in animam operari*, iterum docet.

§. V.

Inter præcipuos, qui dogma istud de Causis Occasionalibus omni virium conatu defendit, referendus est omni jure *MALEBRANCHIUS*, qui Principii loco posuit: *NON ESSE ULLAM CAUSAM, QUÆ VERA SIT CAUSA, PRÆTER UNAM, sc. DEUM.* *in Tr. Gallico de la recherche de la Verité: de inquisitione Veritatis.* haec est hujus Propositio universalis, ex qua cetera tanquam ex radice foecunda pullulant. Sic etiam *Libr. III. cap. III. in fin. scribit: Debent tantum concludere, objectum ordinarie esse necessarium, ut idea sit præsens menti.* Denique non debent judicare, globum agitatum esse principalem, & veram causam motus globi, cui occurrit, cum prior ipse globus non habeat potestatem sese mouendi. Possunt duntaxat judicare, hunc duorum globorum concursum præbere OCCASIONEM AUCTORI MOTUS MATERIAE EXECUTIONI MANDANDI DECRETUM VOLUNTATIS SUÆ, QUÆ EST CAUSA OMNIUM VNIVERSALIS, communicando alteri globulo partem motus prioris; b.e. ut clarius loquar, volen-

volendo, ut posterior tantum acquirat agitationis, quantum prior de sua perdidit. Vis enim motrix corporum alia esse nequit, quam Voluntas ejus, qui illa conservat; ut infra videbimus. Uberius mentem suam exponit in *Tractatu de Natura & Gratia*, docens: *DEUM agere in creaturis voluntate generali, cum nimirum agit secundum leges generaliter a se stabilitas, naturamque nihil aliud esse, quam legem DEI generalem, secundum quam simplicissimo, & Sapientiae suae convenientissimo modo, & ut causa generalis operetur.* Quo ipso Voluntas DEI particularis vel negatur, vel ad extraordinarios effectus saltim restringitur, & simul docetur; non res agere, sed *DEUM* ad rerum praesentiam, & secundum rerum aptitudinem, adeoque res Occasionales esse, non causas; & recipere, non efficere aut elicere. Malebranchium data opera confutarunt *PETRUS JURIEU* in *Traſt. Gall. de Natura & Gratia*. *ANTONIUS ARNALDUS* in *Reflexionibus gallicis ad novum systema Malebranchii de Natura & Gratia*. *Lib. II. c. XI. it. JACOBUS GUSSETIUS. l. c.* qui copiosius mentem Malebranchii exponit, aliquie, quos recenset *ZACH. GRAPIUS cap. II. de Provid. Qu. III. pag. 46.*

§. VI.

Malebranchii sententiam assumpsisse videtur *BERNHARDUS CONNOR* in *Evangelio Medici. Articul. V.* p. m. 33. ubi ita loquitur: *Cum igitur motus sit effectuum omnium causa unica, DEUS erit UNICA & IMMEDIATE effectuum OMNIUM CAUSA.* Ac proinde materia, materiae figura & moles, que vulgo naturales, seu

seu secundæ caussæ vocantur, veræ caussæ *NON* sunt. Sed tantum passiva quædam, apta tamen *INSTRUMENTA & OCCASIONES*, quæ Summum Opificem ad producendos, quibus destinata sunt, effectus determinant, uti tutum cæcis oculis applicatum non est caussa, sed tantum occasio, cur cæcitatis caussa à Supremo luminis Auctore tollatur. Ex nostris Philosophis hanc sententiam tutandam sibi sumissee dicitur *JOH. CHRISTOPH. STURMIUS, Philosoph. Natural. & Mathem. in Academia Altorfina Professor*, post cineres etiam Celebratissimus in *Philosoph. Electiva, seu Hypothetica* passim, cum primis vero in *Epicrisi Ecclæstica p. 157. sqq.* Sed vero cum Gabr. Bielis sententiam exsertis verbis rejiciat, menteque humanæ vim quandam activam, & facultatem varias cogitationes producendi tribuat, appareat, non omni ex parte B. Virum hoc Systema assumpsisse. Provocamus ad ipsum *STURMIUM*, dicentem: *immanentes sane actiones animam nostram exercere verè proprièque tales, absit, ut insciemur; cum velit aut nolit, affirmet, neget, meditetur, dubitet, &c. & harum suarum volitionum ac determinationum, à nemine sibi obtrusarum, sed à se ipsa liberè elicitarum, sibimet ipsi intime sit conscientia. l. c. cap. IV. §. X. p. m. 172.* Legi possunt, quæ annotavit *GUNTHER. CHRISTOPH. SCHELHAMMER*, in libro *de Natura sibi & Medicis vindicata. cap. V.*

§. VII.

Quod si originem & verum fontem inquiramus,
unde hoc Systema Caussarum Occasionalium natum sit,
non

non a vero aberrabimus, si ex ignorantia modi, quo Anima in corpus agit, illud ortum esse, asseramus. Plerique enim hujus Systematis admiratores ex illa potissimum ratione negant, animam actionum suarum caussam efficientem dici posse, quia concipere non possunt, quo pacto Spiritus in corpus & materiam operetur: Unde DEUM ipsum heic in auxilium veluti vocandum esse, existimant. Nam vero licet modum ignoremus, quo pacto Spiritus corpus & materiam movere possit, res ipsa tamen propterea non est neganda, alias nec ipse DEUS, qui Spiritus est, materiam movere posset. Nec juvat hic adversarios exceptio: DEUM esse Spiritum infinitum, adeoque & potentiae & virtutis infinitae. Nam primo supponitur, quod tamen erat probandum, ad movendum sc. corpus id solum quod infinitum est, sufficere, adeoque ad infinitatem DEI recurrere, necesse esse; Deinde DEUS propterea, quod infinitus est, non desinit esse Spiritus, nec conceptus Infinitatis conceptum Spiritualitatis in DEO tollit. Quamdiu ergo DEUS Spiritus est, movere corpus, si vel maxime infinitus est, non potest, quia Spiritus in genere, propterea, quod Spiritus est, id non potest. Porro Infinitatis attributum DEO non aliquid addit, quod cum natura Spiritus, ut tali, pugnet. Verbo: Infinitas naturam Spiritus ut sic non immutat, nec quod eidem ut sic repugnat, inducit, sed id, quod eidem conveniebat, infinite perfectum reddit.

§. VIII.

Licet vero hoc Systema propugnatores quosdam habeat, illud tamen impietatis recte accusatur. Si enim iulus DEUS efficit omnia tantum ad praesentiam creatura-

D

tura-

turarum, neque hæ principium essent actionum, neque volitiones malæ hominibus ipsis, sed DEO essent adscribendæ. DEUS itaque Sanctissimus caussa peccati, & omnium actionum malarum constituitur, quæ sententia atrox est ac nefanda. Evidem impiam hanc sententiam hujus Systematis patroni à semet amoliri conantur; sed quicquid proferunt, in quamecumque fæse partem vertunt, quibus coloribus hanc hypothesis pingunt: per pronam tamen consequentiam exinde potest elici, DEUM omnis mali atque æstuum nefandorum esse autorem; quæ sententia diuinis perfectionibus immane quantum detrahit. Alia dubia huic Systemati opposuit Vir illustris LEIBNITIUS in *Tentaminibus Theodiceæ de bonitate DEI, Libertate hominis, atque origine mali*, & qui illum sequitur Vir Celeberrimus CHRISTIANUS WOLFIUS in *Metaph.* s. 764. aliisque in locis. Rectius itaque sentiunt, qui caussas secundas vi, qua polent, activa non privant, sed easdem agere atque operari ita docent, ut DEUS ad omnes illarum motus atque actiones PROXIME atque IMMEDIATE concurrat. Ceterum confiteri fas est, in his admirandis Providentiae Diuinæ actibus multa esse, quæ intellectus humani imbecillitatem superant. Quare in genua procidentes summum rerum omnium Moderatorem adoramus, ejusdemque Sapientiam, Potentiam atque Bonitatem summis efferamus laudibus, de eo solliciti, ut ad Ipsius Voluntatem vitam, actionesque nostras componamus. Denique addimus monitum SENECAE Question. natural. Lib. VII. cap. XXX. *Nunquam nos verecundiores esse oportet, quam cum de DEO agitur.* Si intramus tempa composti, si ad sacrificia accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur: quanto magis hæc facere debemus, cum de DEO disputamus, ne quid temere, ne quid impudenter, aut ignorantes affirmemus, aut scientes mentiamur. pag. m. 794. DEO, CAUSE

OMNIUM PRIMÆ, SIT LAUS, HONOR,
ET GLORIA SEMPERNA,





00 4 6397



(F) Sb.

Kb18 1017



Farbkarte #13

B.I.G.

Black

White 3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

A. & Ω.
ATIO METAPHYSICA
DE
CURSU DEI
[CREATURIS]

Quam
Adjuvante D E O
issimo Gymnasio Ulmensi
Eruditorum Disquisitioni
subjiciunt

P R A E S E S
N. GEORGIUS Span,
ungingenensis Pastor, Meta-
atque Eloquentiae Prof. P.

&
R E S P O N D E N S
N N E S Wölfflin, Ulm.
Philosoph. Studios.

Septembr. A. R. S. MDCC XXX.

H. L. Q. C.

U L M Ä,
R I S T I A N I U L R I C I W A G N E R I.

7.

